



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

224. De fugiendis pseudoprophetis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

III. Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. *Matth. 7. v. 5.* tunc perspicias, ut educas festucam de oculo fratris tui. *Luc. 6. v. 42.*

MEDITATIO CCXXIV.

Didagma XXX. De fugiendis Pseudoprophetis.

LA Ttendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? *Matth. 7. v. 15. & 16.* Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam. *Luc. 6. v. 44.*

II. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. *Matth. 7. v. 17.* Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum. *Luc. 6. v. 43.*

III. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. *Matth. 7. v. 18.* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus

malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Luc. 6. v. 45.*

IV. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mitteretur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth. 7. v. 19 & 20.*

MEDITATIO CCXXV.

Didagma XXXI. Neque solam fidem, neque gratias gratis datas salvare.

I. **Q**uid vocatis me; Domine, Domine: & non facitis, quæ dico? *Luc. 6. v. 46.*
Non omnis, qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. *Matth. 7. vers. 21.*

II. Multi dicent mihi in illa die; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Matth. 7. v. 22.*

III. Et tunc confitebor illis; Quia nunquam novi vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem. *Matth. 7. v. 23.*